

Käuflich erworben
von der D. B. B.



Freiherr v. Ende-Alljessnitz.



INDEX.

A

| | |
|---|-----|
| De Avvatorum culpa. | 20. |
| Academica Bibliotheca. | 23. |
| Argumenta 18. variorum disciplinarum. | 11. |
| Relicis Ministris | 22. |
| Rulicorum ministrorum casibus tragicis. | 22. |
| Ambasiadoribus. | 22. |
| Amittendi modis quod facti est. | 9. |

B

| | |
|-----------------------------------|-----|
| De Bibliotheca, Academica, | 23. |
| Statistica, | 22. |
| Canonice, | 24. |
| Salinaria, | 25. |
| Duellantium | 26. |
| Bonis creptitijs. | 5. |
| Bonis domanialibus | 22. |
| Placitum hys subauct. Cyprij, fr. | |
| Ristor S. Georg. | 18. |

C

| | |
|---|-----|
| De causis fundantibus iudicium camerale. | 6. |
| Alia advocatorum. | 20. |
| Canonicis et canonicatibus. | 24. |
| Consuetudo matrimonii | 10. |
| Consuetudo donationibus simpli. | 14. |
| Contractu Societatis. | 16. |
| Comendatijs litteris. | 17. |
| Contractibus Pignoratitijs. | 21. |
| Consiliarijs. | 22. |
| Criminalis Imp. ptri. Millen. | 27. |
| Consuetudine duellandi. | 26. |
| Cumulatione possess. et peditory | 8. |
| De Deterioratione. | 2. |
| Deductiones causarum forensi. | 17. |
| Donationibus simplicibus inter conjuges validis. | 14. |
| Domania liby bonis. | 22. |
| Duellandi consuetudine. | 26. |

E
De Creditis bonis.
Equitibus S. Georgii in Anglia.

G
De S. Georgii Militibus ad Clavum Lyncii.
Lancet. 18.

F
De Fundantibus causis iudicij Cameralis. 6.
Forensium 18. eadem relationes 11.

H



J.

De Jure Revelationis.
 Junibz Minerarum. 4.
 Jure ejus qd facti e' modiq' illig amittex 9.
 Jure Margaretharū. 13.
 Judicij Cameralis Campis. 6.
 Instaurato matrimonio et Consci- 10.
 entia.

L.

De Litteris Censuratis. 17 De,
 Litibz textorū mechanicis. 19.

N.

De Minerarū juriabus. 4.
 Matrimonio instaurato et 10.
 Conscientia.
 Margaritarū jure. 13.
 Mechanicis libz textorū 19.
 Ministris Statu Georg' casibz. 20.
 Mediatoribz pacis. 22.
 Marchlöf fund. 12.
 Milleri Hm. Criminalis. 22.
 Manus Regia pigno. 15.
 Novis amittendiq' facti e'. 9.

N.

De
 2
 13
 15
 17
 19



O.
 De, Ordine Equitum S. G. in Angl. 18.
 Osnaburg Balgrünge Knecht 1.

R.
 De retractu territoriali. 12.
 Regia manus hano. 15.
 Repitencia quod sit potestati. 3.
 De comendatione fratribus. 17.
 Residentibus. 22.
 Relationibus & c. d. r. u. f. o. r. e. s. 11.
 Regis de Osnaburg. 1.
 Regis de Fulda. 13.

P.
 De, Proportionibus. 7.
 Possessorij et petitorij cumus. 8.
 Potestatis Repitencia. 3.
 Vorlau D. d. l. t. r. 13.
 Pignoratitio Contractibus. 21

S.
 De, Salinaria bibliotheca. 25.
 Simplicibus donationibus inter
 conjuges validis. 14.
 Signomany Regia. 15.
 Scida contra Ju. 16.
 Statistica bibliotheca. 22.



2.
5.
3.
7.
2.
1.
1.
0.

J.

De, *Textorum libris mechanicis.* 19
Tragicis Caribthiniſtorum auli-
corum. 22
Territoriali detracta. 27

8.
Von *Mabius Armingen.* 29.

5.
fer
4.
8.
6.
2.


U. V.

De, *Validis conjugum donationibus.* 14.
Hinc *et* *hinc* *est.* 16.

[Faint, mostly illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, with some red ink markings.]





B. 138.
H.





321/10
10











X.
7. 7.

DISSERTATIO

DE

MATRIMONIO
INSTAURATO ET
CONSCIENTIÆ.

QUAM

PRÆSIDE

JOANNE NICOLAO
HERTIO,

J. U. Doct. & Prof. Publ.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT

Die OCTOBRIS, A. MDCCII.

SAMUEL GOTTFRED HOFFMANN/
ULRICHSTEINENSIS HASSUS,
A. & R.

GISSÆ-HASSORUM,
Typis HENNINGI MÜLLERI.

7

DISSERTATIO
 DE
 MATRIMONIO
 INSTAURATO ET
 CONSOLIDATO
 AUCTOR
 JOHANNES NICKOLAUS
 DE
 J. D. & C. P. S. S.
 IN MATRIMONIO INSTAURATO
 ET CONSOLIDATO
 AUCTOR
 JOHANNES NICKOLAUS
 DE
 J. D. & C. P. S. S.



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
ERNESTO
LUDOVICO,
HASSIÆ LANDGRAVIO,
PRINCIPI HERSFELDIÆ,
COMITI CATIMELIBOCI,
DECIÆ, ZIEGENHEINÆ,
NIDDÆ, SCHAUMBURGI,
YSENBURGI & BUDINGÆ,
&c. &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

ERNESTO

LUDOVICO

HASSIAE LANDGRAVIO

PRINCIPIS HERSELDIAE

COMITIS CATINELBOI

DEI & ZIEGENHAINAE

INDIAE SCHALMBURG

PRINCIPIS & BUNINGAE

8c. 8c. 8c.

PRINCIPIS AC DOMINI

MEO CLEMEN...



SERENISSIME
PRINCEPS,
AC
DOMINE,
DOMINE CLEMENTISSIME.



*Et si nescire non possim, quantum pagella,
quas heic offero, infra celsum illud fastigi-
um, in quo Deus TE Locavit, substi-
dant; tamen inopiam malui meam testa-
tam facere, quam debiti professionem defugere: etenim
natus parente, qui clementissimo sibi demandato mu-
nere per annos complures in principatus TUI qua-
dam provincia perfunctus fuit; sed ES in inchyto hoc-
ce Musarum domicilio, quod TIBI tantopere cura
cordi que esse infinitis documentis ostendisti, bonis im-
butus literis, ad me quoque pertinere existi mavi, ut
de-votissimâ etâque publicâ significatione, quantum
inde ad me quoque redundarit beneficiorum, depradi-
carem:*

carem: nec negligendam censui occasionem innotescen-
di TIBI, si post peracta studiorum curricula ali-
quando non indignus inveniar, qui servitiis adscri-
bi tuis possim. In quam spem & gloria partem si
venire mihi liceat, id non tantum gaudii ingens
mihi materia erit (nam ut Tragicorum Princeps
ait:

ἐν ἑστὶ τῆ θεοφάνου ἡδίων οἴκου

Altrice nulla dulcior tellus domo.)

Sed & stimulum addet, ut quam ingressus sum stu-
diorum rationem quâ par est sedulitate in posterum
quoque decurram. De cetero supremum Numen ex
animo Veneror rogoque, ut miseris hisce temporibus,
quibus maxima Europa pars inferales bellorum furias
exarsit, TE SERENISSIME PRINCEPS
cum Augustâ domo undiquaque sospitem, incolumem,
ac florentem conservet. Scribeb. Giessa 13. Calend.
Novembr. MDCCII.

Serenissimæ Tuæ Celsitudinis

Servus humilimus
S. G. HOFFMANN.



IN NOMINE DOMINI AMEN.

PRÆFATIO AD B.L.

DE matrimonio complures egerunt, integris libris, tractatibus, voluminibusque, Theologi pariter ac Scti: Et tamen superesse in eo argumento nonnulla, qua accuratorem mereantur expositionem, liquido demonstratum est à Consultiss. Dno Præsde DE MATRIMONIO PUTATIVO commentatione, cujus exemplo mihi placuit DE MATRIMONIO INSTAURATO & CONSCIENTIÆ differere, cetera de quibus speciebus non nisi sparsim & interdum verbo à scriptoribus esse actum, quicumque inquisiverit, facile mecum consentiet, dabitque, non temerè me operam nonnullam in explicandis illis possuisse. Quæcunque autem illa erunt, ob atatem meam & temporis, quo hæc elaborata sunt, angustiam, ut fateant, quisquis legere dignatus fuerit, peramanter rogatos cupimus.

MATRIMONIO INSTAURATO
ET CONSCIENTIÆ.
DISSERTATIONIS.

Sectio Prima.

- I. **Q**uid matrimonium instauratum & quotuplex.
- II. An & quando matrimonium instaurari possit, deducitur ex jure divino.
- III. & IV. Ex Jure Romano.
- V. Jure hodierno.
- VI. Dispicitur, an jus divinum adhuc hodie apud nos obtinere debeat?
- VII. Forma matrimonii instaurati post separationem aliqualem & omnimodam, sive proprie dictum divortium.
- III. Interdum ex necessitate fit redintegratio.
- IX. Interdum patris consensus est necessarius.
- X. Effectus matrimonii hujus quantum attinet conjuges. Et quidem si separatio est aliqualis, haud dubie idem mansisse matrimonium censetur.
- XI. Idemque dicendum hodie, si separatio facta quoad thorum & mensam.
- XII. At divortio reverá intercedente, dos nihilominus prioris matrimonii in hoc conversa intelligitur.
- XIII. Quod tamen ad secundas nuptias non producendum, quanquam vulgò aliter sentiant.
- XIV. Communio quoque bonorum tum perdurat, si hoc actum. Ubi casus singularis exponitur.
- XV. Effectus quoad tertium, ratione dotis.
- XVI. Ratione liberorum. Ubi casus singularis.
- XVII. Affine, matrimonium de facto contractum, postea superioris auctoritate redintegratum. Ubi casus singularis ratione liberorum, ex eo matrimonio natorum, proponuntur.
- XIII. Et quid juris in dote sit, deciditur.

I.



Matrimonium instauratum (quod *posterius* dicitur in L. dotem 30. D. de jur. dotium, *secundum* in L. cum post. 69. eod.) definiti potest: Matrimonium, quod solutum divortio postea inter easdem personas redintegratum est;

Cum vero divortium ex moribus Christianorum populorum sit vel simpliciter tale, vel quod tantum cohabitationem, hoc est, convictum ac thalamum spectat; si post hoc vel illud redintegretur matrimonium, diversitatem ejus inde existere palam est, & in sequentibus ostendetur. Porro matrimonium redintegratur vel liberâ voluntate, vel ex juris necessitate; puta si errore quodam matrimonium fuerit dixerit: neque enim sententia contra matrimonium unquam transit in rem judicatam. *Cap. Lator. 7. X. de re judicat:* ubi Gonzalez. n. 3. Exemplum vid. apud Brunnemannum cent. 3. Dec. 56. n. 6. seqq.

II.

Videamus autem primum, an & quando justum sit redintegrare matrimonium semel dissolutum? Apud Hebraeos maritus uxorem, quam dato divortii libello dimiserat, postea alteri marito nuptam, ab hoc quoque sive divortio sive morte separatam, in uxorem recipere non poterat. Quoniam abominatio ista est coram Domino, ut legitur *Dent. XXIV. 3. & 4.* ubi prudenter annotavit. H. Grotius: displicuisse id ideo, quia speciem habeat uxoris alteri in usum datæ, omniaque lenocinia eo velo obtegi potuissent. Planè ut quidam miranti, quod apud Lacedæmonios adulteria non audirentur, dixerit, ipsa matrimonia adulteria esse, ob morem commodandarum uxorum. Ad hanc legem respexit Jeremias III, 1. *Vulgo dicitur: si dimiserit vir*



uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: nunquid revertitur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminat erit terra illa?

III.

Apud Romanos, uti crebra erant divortia, ita matrimonium renovari non raro usueveniebat. Seneca ep. 114. meminit Mecanatis, uxorem millies ducentis, cum unam habuerit, Terentiam sc. cum qua assidua iurgia, divortia, iterumque conjugia. Quo pertinet L. vir mulieri 64. D. de donat. int. vir. & uxorum, ubi mentio fit Terentiæ & Decenatis, legendumque omnino Mecanatem. Ulpianus L. 19. D. solut. matrimon. Si mulier diverterit & iudicio de dote contestato reversa fuerit in matrimonium: redintegrato matrimonio, expirat iudicium & omnia in statu pristino manent. Javolenus L. in his rebus 66. §. 5. D. eodem. Uxor, divortio facta, partem dotis receperat, partem apud virum reliquerat: deinde alii nupserat, & iterum vidua facta, ad priorem virum redierat.

IV.

Exceptio notabilis erat, si quis in adulterio deprehensam aut damnatam adulterii in matrimonium reduxisset; hic enim lenocinii reus erat. Ex quâ causâ Suetonius in Domitiano cap. 8. testatur, Domitianum Imperatorem iudicum albo crasisse, Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenterat: & Ulpianus in L. 2. §. unde queri potest 6. D. ad L. Jul. de adulteriis. Claudium Gorgum, virum clarissimum, cum deprehensam in adulterio uxorem retinuisse detectus esset, sine accusatore lenocinio damnatum fuisse à Divo S. vero, refert: Conf. l. 37. D. de minoribus. L. mariti 29. pr. ad L. Jul. de adulter. Paulus 2. sentent. 26. Cui non contrariatur, quod idem Ulpianus scripsit in L. si uxor. 13. §. 9. dict. tit. Sed & si
qua

qua repudiata mox reducta sit, non quasi eodem matrimonio durante, sed quasi alio interposito, videndum est an ex delicto, quod in priore matrimonio admisit, accusari possit? & puro, non posse; abolevit enim prioris matrimonii delicta reducendo eam. Intelligendum enim de marito, qui demissam non satis comperit adulterii crimine reduxit. Quo referendum etiam, quod in *L. quæsitum 40. eodem.* ad quæstionem, an idem maritus destituisse videatur, vel lenocinium commisisse, qui eandem reduxit uxorem? Paulus respondit: eum qui post adulterii crimen intentatum eandem uxorem reduxit, destituisse videri, & ideo ex ead. in lege postea accusandi ejus non superesse. Conf. *L. crimen 11. C. ad L. Jul. de adult.* In jure quoque Attico erat: *Deprehendenti adulterum non licet cohabitare uxori: si cohabitaverit, infamis esto*, ut testatur Demosthenes oratione in *Neeram.*

V.

Enimvero jure novissimo hoc mutatum creditur per Justiniani constitutionem in *Nov. 134. cap. 10.* quæ permittit intra biennium uxorem adulteram recipere. vid. Carpzov. *quæst. criminal. 71. n. 31. seqq.* Alii ex jure Pontificio licere putant, extra lenocinii crimen adulterii reæ aut damnatæ ignoscere, eamque retinere & reducere, ut Cujac. *ad cap. inter opera 20. X. de sponsal. & matrimon.* Videatur locus Augusti in *in can. quod autem 7. caus. 32. quæst. 1.* quocum non convenit quod est *c. 2. & 4. d. caus. 32. quæst. 1.* Atque hoc jure hodie utimur propter sexus infirmitatem & communes liberos, ut testatur Heigius. *2. quæst. 29. num. 79. & seqq.* Idque nonnulli eò extendunt, ut etiam transactionem in adulterio impune fieri statuunt Clarus *l. s. sent. s. final quæst. 58. n. 11.* Suarez in *thesaur. commun. opinion. verbo adulterium n. 9.* Carpzov. *d. l. & quæst. 55. n. 14.* Quorum tamen sententiæ

nos



nos non accedimus : Nam aliud est gratuita remissio, aliud transactio, quæ à specie lenocinii vix abesse potest.

VI.

Sed annon divinum jus adhuc hodie apud nos obtinere debeat? quæritur. Cujus quæstionis resolutio pendet ab aliâ, an jus illud morale sit, an politicum sive Hebræorum reip. proprium. In quâ prius affirmat Tabor *addit. ad C. Jur. Argentorat. tit. de divortii in fine* Schilterus *ad Herennium Modestinum c. 4. §. 11. & 16.* ubi memorat in Consistorio Ecclesiastico Jenensi secundum jus divinum fuisse pronuntiatum; posterius placuit Theodor. Bezae, cujus sententia nobis potior videtur: nam apud Hebræos divortia fiebant levibus ex causis; à lenocinio igitur non procul aberat, si post divortium alteri nuptam & similibus ex causis dimissam licuisset recipere. Hinc Muhammedis ingenium refert mos inter sectarios ejus receptus, ut ter liceat post divortium redintegrare matrimonium, modo post tertium divortium foemina prius nubat alii marito & cum eo habitet quadraginta dies, atque abhinc ab eodem se separet. Ut refert Chardin. *Voyage en Perse p. 269. seqq.* At cum inter Christianos divortia non nisi ex gravissimis causis fiant, rationem illam cessare, statim intelligitur.

VII.

Fieri potest instauratio illa solo conjugum consensu, etiam privatim, facto tantum declarato, dum conjuges in mutuam gratiam redeunt, & quò ante consortio utuntur. Idque planum est, si separatio facta, quantum attinet thorum & convictum. Hinc hodierno jure post commissum adulterium conjuges redintegrasse matrimonium censentur, si vir, sciens uxorem adulteram esse, ipsam cognoverit, vel mulier viro, notoriè adultero, conjugale debitum exsolverit. Quod etiam apud Romanos obrinebat, si uxor nondum

nondum adulterii damnata aut in adulterio à marito deprehensa non esset; ut supra §. 4. diximus. v. Robertus *L. 1. rer. judicat. cap. 14. Moller. lib. 3. Semest. c. 13. n. 2. Joann à Sande lib. 2. Dec. Friscar. tit. 6. def. 2.* At si matrimonium prorsus diremptum est sententiâ judicis, quam vocant, declaratoriâ, magni momenti est quæstio: an magistratus consensus & nova solennia requirantur? Affirmat id Groeneveg. *de LL. abrogat. ad L. 7. C. de nuptiis n. 2. Johan Christenius de caus. matrimonial. Dissertat. 5. quæst. 10. confer. Charond. lib. 5. Respons. 3. quos sequitur Abraham à Wesel. de connubiali bonor. societ. tract. 2. c. 4. n. 49. & novè Brückner. Dec. jur. matrimonial. cap. 17. n. 48.* Et sane cum fuerit omnino dissolutum matrimonium, perinde censei debet acsi omnino novum esset. Non tamen consensu magistratus opus esse arbitramur.

IIX.

Ad hunc locum pertinet etiam ut notemus, apud Romanos matrimonium certo casu necessario redintegrandum fuisse: Nam licet matrimonium apud eos captivitate solveretur, nec in eo postliminii jus esset, tamen si vellet uxor nondum alii nupta maritum redeuntem recipere, & is reluctaretur, injusti divortii poenis (de quibus vid. *L. consensu 8. §. 4. & 5. C. de repudiis,*) tenebatur. Nam ita Paulus in *L. s. D. de captiv. & postlimin. revers.* *Non ut à patre filius, ita uxor à marito jure postliminii recuperari potest: Sed & tunc, cum & voluerit mulier, & adhuc alii post constitutum tempus nupta non est. Quod si voluerit, nulla causa probabili interveniente, poenis distidii tenebitur.* Unde explicandus Pomponius in *L. cum duæ 14. §. 1. cod. Non ut pater filium, ita uxorem maritus jure postliminii recipit, sed consensu redintegratur matrimonium: sc. vel utriusque conjugis, vel uxoris tantum, si vellet.* Sed cur uxori tantum hoc fuerit datum, forte dictum est difficile, nisi quis causam inde repetat, quod uxor pendente

dente captivitate, adultera facta, adulterii eo nomine accusari possit, ut liquet ex *L. 13. §. 7. ad L. Jul. de adulter.* & propterea æquum fuerit, maritum ad matrimonium redintegrandum cogi. Hodie hoc jure non utimur: nam jure novissimo captivitas non dissolvit matrimonium, de quo videantur dicta in *commentatione de matrimonio putativo §. 13.* Quod si mulier persuasa, demortuum esse maritum, alii nupsit, ea abdicatō novō marito, ad veterem, si hic velit, redire & matrimonium redintegrare cogitur, ut disertè sancitum in *Novell. 117. c. 11.* & pluribus exemplis firmatur in *dicta Comment. §. 38.* quibus adde Claudium de Ferriere *Institut. Jur. Rom. & Gallici lib. 1. tit. 10.* & in *jurisprud. Digest. cum ordination. regis & consuetud. collat. ad tit. de ritu nuptiar. p. 522.* attestantem, ita sæpius in Gallia judicatum esse, & maxime Anno 1643. quo mulier contractis secundis nuptiis tertio decimo anno post absentiam mariti, quem mortuum ex hominum fide dignorum testimonio crediderat, ad ipsum redeuntem, vivente adhuc secundo marito, reverti coacta fuit.

IX.

Notandum præterea, filiam familias matrimonium instauraturam opus habere consensu patris. Nam ita Gordianus ad *L. 7. C. de nuptiis: Si (ut proponis) post querelam de marito, à filiâ tuâ ad te delatam, dissolutum est matrimonium, nec te consentiente, ad eundem regressa est, minus legitima conjunctio est, cessante patris voluntate, in cujus est potestate.*

X.

Cæterum effectus matrimonii hujus sunt insignes, quorum alii conjuges ipsos, alii tertium respiciunt. Et quidem si simulatum divortium aut fribusculum (de quo in *l. cum hic 32. §. 12. de donat. inter vir. & uxorem,* ubi malunt alii legere figusculum, ut Ravardus, Vossius in *Etymologico.*

vid.

vid. Brissonium de Verb. Significat. cum notis Taborianis) sive leve jurgium intercesserit, haud dubiè idem mansisse matrimonium intelligitur. Paulus in L. 3. D. de divortis: *Divortium non est, nisi verum, quod animo perpetuam constituendi dissensionem sit. Itaque quicquid in calore iracundia vel sit vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit iudicium animi fuisse: ideoque per calorem misso repudio, si brevi reversa uxor est, nec divortisse videtur.* Ex qua lege defumta L. quicquid 48. ff. de R. Jur. Huic consequens est, quod Papinian. in L. 31. D. de jur. dot. dixit: *Quod si non divortium sed jurgium fuit, dos ejusdem matrimonii manebit.* De simulato divortio idem Papinian. ita loquitur L. 27. D. de pactis dotalibus: *Si liberis sublati reversa est, post jurgium per dissimulationem, mulier, veluti venali concordio, ne dotata sit, conveniat: conventio, secundum ordinem rei gesta, moribus improbanda est.* Cujus sententia est, si mulier, quæ liberis suscepris, per jurgium ac dissimulationem animi à marito discessit, deinde reversa cum eodem pepigit, an dotata esset, non valere pactum, quoniam amor & concordia non debet pretio comparari (ut est in L. 3. de donat. inter vir & uxor.) & mores constitutionesque Principum apud Romanos dotem semel constitutam constante matrimonio minui aut remitti vetuerunt, cum utrumque in speciem donationis incidat. adde L. vir mulieri 64. D. de donat. inter vir. & uxor. Multo igitur magis idem matrimonium mansisse intelligitur, si conjuges, res licet suas seorsim habentes, honorem matrimonii invicem sibi habere non desierunt. Quod pertinet, quod Ulpianus ait L. 32. §. 13. D. de donat. inter vir. & uxorem: *Si mulier & maritus diu seorsim habitaverint, sed honorem invicem matrimonii habebant, (quod scimus interdum & inter Consulares personas subssecutum) puto donationes non valere.*

XI.

Hodierno jure idem dicendum, si separatio, quantum attinet thorum & convictum, facta: Nam per eam vinculum matrimonii, sive confederatio nuptialis, ut vocatur. *in canon. 1. caus. 32. quest. 7.* non tollitur. Hinc conjuges ita separati revera adulterium committunt, licet poena ejus mitigetur. v. *Carpzov. quest. criminal. 61. n. 55. seqq.* & ad aliud matrimonium digressi crimen bigamiae incurrunt, quantum itidem mitius puniendum. v. *Carpzov. Dec. illust. 291. & lib. 2. Jurisprud. Const. def. 210.* Porro cum hodie apud Evangelicos adulterium non dissuat matrimonium, nisi accedat sententia judicis declaratoria (nam & bigamiae adulteriique crimen interea committitur. v. *Mevius ad L. 4. Jur. Lubecens. tit. 6. art. 1. n. 4 & seqq.* *Crustus ad L. 3. Statut. Mindens. tit. 6. dec. 3.* *Carpzov. quest. criminal. 57. n. 15 & 16. quest. 58. n. 19.* *Wissenbach ad Tit. D. de divortiiis §. 12.*) non est dubitandum, si recomponentur animi, matrimonium idem intelligi. Hinc seorsim mediò tempore parta ab utrovis illorum invicem postea communicantur, ubi communio bonorum inter conjuges recepta est. vid. *Abrah. à Wesel de conjugal. bonor. societate tract. 2. c. 4. n. 52. ubi plures consentientes profert.*

XII.

At si divortium revera intercessit, & postea renovetur matrimonium, pro regula habendum, quod de dote tradidit Paulus L. 30. D. de jure dotorum: *Dotem, quae in prius matrimonium data est, non aliter in posterius matrimonium converti dicendum est, quam cum hoc agitur: dum hoc agi semper interpretemur, nisi probetur aliud convenisse.* Hinc si, actione de dote institutâ & nondum ad exitum deductâ, conjuges in matrimonium revererint, expirat judicium, & manent omnia in pristino statu. *L. si mulier 19. D. solut. matrim.* Idque multò

multò magis ita erit, si actiōe extipulatu nondum instituta. mulier fuerit reversa. *L. si mulier 13. de jur. dotium* aut instrumenta dotalia non sint reperta. *L. Divus 40. eodem.* Cæterum inter conjecturas, quibus aliud convenisse intelligitur, est, si multo tempore interposito conjuges reconciliati fuerint, secundum Marcellum in *L. 33. D. de ritu nuptiarum*, id est, ut idem ibi explicat, si inter moras aut uxor alii nupsertit, aut maritus aliam duxerit. confer. *L. 64. D. de donat. in virum & uxorem in fine.* Quanquam si dos ex re uxoris profecta sit, etiamsi ipsa post divortium alii nupsertit, dein redierit ad matrimonium prius, dos quoque renovata censeatur. *L. post divortium 64. D. de jur. dot.* Multo igitur magis, quod apud maritum eundem restat ex dote priore, rursus in dotem censeatur conversum. *L. pen. §. uxor. 5. D. solut. matrim.*

XIII.

Libet occasione hæc quærere, quæ de dote instaurati matrimonii dicta sunt, an pertineant ad uxorem iterum nubentem, ita ut dotem, quam priori marito dedit, secundo pariter constituissè censeatur? Quod vulgò affirmant DD. quos magno numero adduxit Joann. à Sande *lib. 2. Decis. Friscar. tit. 2. de jnit. 3. Gail. 2. observ. 82. num. 7. ib. Græveus conclus. 82. conf. 1. Menochius 3. de præsumpt. 6. n. 25. & seqq. & conf. 5. n. 1. Caspar. Klockius 2. conf. 70. n. 22. cujus multis allegat. Brunnemann. Cent. 3. Dec. 50. Alexander. Raudens. Respons. 51. n. 4. vol. 1. Ant. Faber *lib. 5. C. tit. 7. def. 18. & 37.* qui de praxi hujus sententiæ testantur, Cardinal. Mantica *lib. 12. de tacitis & ambiguis convent. tit. 15. n. 5. & seqq.* octo ampliaciones & totidem limitationes subjiciens: Ex quibus ampliacionibus præcipua est, licet uxor priori marito in dotem bona omnia dederit, aut statutum exster, nullâ dote constitutâ, bona omnia in dotem data censeari: Quidem*

quidem & hocce casu dos prioris matrimonii tacite repetita intelligitur. Inter limitationes vero eminent, si mulier minor sit XXV. annis, de quo tamen ipse dubitat, quia bona minoris obligentur ex dispositione legis; item, si liberis prioris matrimonii exstantibus, maritus secundus plus lucri habiturus esset ex dote, quam unus ex liberis prioris matrimonii, contra *L. hac edictali 6. C. de secund. nupt.* de qua limitatione vid. etiam Klockius *d. conf. 70. n. 40. cum plur. alleg.* Item si maritus scivit quantitatem prioris dotis; item si dos in priore matrimonio promissa tantum fuit; de qua limitatione tamen non temere dubitat Mantica, Urcunque autem hæc ita vulgo statuuntur, verissima nihilominus est contraria sententia, quam in iudicando secutus est Senatus Frisicus apud Joannà Sande *lib. 2. Tit. 2. def. 3.* consentientes allegans, Campegius, Corneum, Ant. Fabrum. Adde Scipion. Gentilem *ad L. mulier 73. D. de jure dot. quam subjecit libello de estimat. rerum in dotem dat.* Taborem *in Dissertat. de jur. dot. §. 2. lit. a.* Nam primo leges, quibus dissentientes inniti solent, loquuntur de matrimonio secundo, inter easdem personas contracto, hoc est, instaurato: at si matrimonium morte alterius fuerit diremptum, & superstes conjux cum alio secundum matrimonium contraxerit, nusquam in jure traditur, dotem in primo matrimonio traditam, in secundo hoc censi repetitam: Nam quod Paulus in *L. dotem 30. D. de jure dotium* generaliter pronunciat: dotem, quæ in prius matrimonium data est, in hoc secundo censi repetitam, hoc responsum Papiniani in sequente *L. quod si 31. eodem*, satis indicat, accipiendum esse de matrimonio post divortium redintegrato sive renovato. Adde *l. 22. D. eod. quæ desumpta ex ejusdem Pauli libro septimo ad Sabinum.* Deinde certum est, dotem non esse de substantia matrimonii, nec ejus dationem juris naturalis; quandoquidem



quidem constat apud gentes quàm plurimas, eas etiam, quæ maxime moratæ semper visæ fuerunt, aut nullam omnino aut valdè parvam legibus concessam fuisse dotem. Romani ipsi, qui Reipubl. interesse credebant, mulieres dotes habere salvas *L. 2. D. de jure dot.* quique tam multa, tam varia, tamque singularia in favorem dotis excogitarunt & promulgaverunt privilegia, non crediderunt tamen sine dote nuptias consistere haut posse, ut ex Justiniani constitutionibus 1. quæ in *L. final. C. de donat. ante nuptias L. 11. pr. C. de repud.* Credendum igitur potius, quæ novo marito sine ullâ dotis constitutione nupsit, dotem nullam adferre voluisse.

XIV.

Dictis consequens est, communionem bonorum, quæ in priore matrimonio fuit, in renovato perdurare, si hoc actum fuit. Quod pertinet singularis casus, quem proponit Claudius de Ferriere *Institution. jur. Roman. & Gallici ad tit. Inst. de Societate p. 342.* Titius & Mevia unanimi utrinque parentum consensu nuptias non omissis festivitatibus & solennibus celebrant. Non fuit ipsorum diuturna nuptiarum lætitia. Molestiæ & ægri tudines, voluptatum impatientes, vel ex ridicula mariti zelotypia, vel forsan ex non satis laudabili vivendi modo ex parte uxoris natæ, sensim sine sensu malè foras dissociant amicitias. Tandem post aliquot rixas & altercationes, conjugali contrarias consortio, de se à se invicem, quoad habitationem & bona, sejungendis cogitant, animis suis plenissimam & perpetuam quietem impertire intendentes, continuis curis & edacibus conscientiæ stimulis, qui conjugum divortii regulariter se præbent comites. Itaque Præfectus Parisiensis, præviis inquisitionibus rite factis, inter ipsos pronunciat divortium, maritum ad uxori suæ dotem condemnat restituendam.

Dicta

Dicta separatio ad exitum perducitur, & quidem per annos XVII, post quod temporis intervallum suasionibus & consiliis parentum suorum renovandas nuptias, & quasi novum nuptiale instrumentum conficiendum statuunt. Hujus instrumenti hæ sunt pactiones præcipuæ ex parentum utriusque consensu. (I) Quod maritus uxorem omnium futurorum conquestuum sociam & participem fore consensiebat à die reconciliatæ pacis, non item partorum mobilium & immobilium durante divortio factorum, quæ dicto instrumento sibi suisque propria stipulabatur; quorum idcirco fieret inventarium. (II) Quod uxor debita, quæ à viro se juncta, summam trium millium librarum excedentia, contraxerat, proprio ære lucret ac solveret. In has pactiones ex communibus conjugum ipsorumque parentum suffragiis inter eos reconciliata est concordia. Aliquot annos post maritus è vivis excedit, relictis tribus filiis, uno ante dictum divortium suscepto, aliis duobus post, renovatæ amicitia pignoribus. Inter matrem & filios oritur controversia, de dividendis communibus fortunis, illa, meo quidem consilio, semissem in bonis à marito à die nuptiarum partis indistinctè, perinde ac si nunquam intercessisset divortium, petit, quippe quod renovatâ societate penitus evanuerat. Hi vero matrem suam à sua petitione repellendam, sed tantum ad semissem bonorum communium à die reconciliatarum nuptiarum, juxta dictum instrumentum rite apud Notarios peractum, admittendam esse contendunt. Res ad quinque clarissimos Patronos delata, eorum arbitrarij componenda, matris favore Anno M DCLXXV. decisa est. Rationes idem de Ferriere in *Jurisprudent. Digest. collata cum Ord. Regis & consuetud. tom. 1. ad tit. D. pro socio* affert verbis hæc: *Il n'y a personne qui d'abord ne soit d'avis, que la clause ne doive estre executée selon sa forme & teneur; parce*
que

que la separation n' auroit été détruite & la société de biens rétablie que par ce moyen & que la faveur de cette reunion & de ce rétablissement semble exiger, que tous les moyens nécessaires pour le procurer soient reçus & admis. Outre que les parties étant en majorité; & leurs plus proches parens ayant consenty à rétablir la communauté de biens entre les parties, moyennans cette clause, comment pourroit elle n'avoir pas son effet, & comment la femme ou ses heritiers pourroient-ils prétendre la détruite sans maintenir la separation, & venir aussi contre leur fait, le droit public ne s'y trouvant point intéressé? Toutefois il faut dire le contraire, & en ce cas, non obstant la dite clause, la femme après la mort de son mary a droit de demander le partage de tous les biens acquis du jour de la celebration, & n'aura point son effet ny son execution pour la dite clause. La raison est, que cet acte ayant détruit la separation & rétabli la communauté, il a remis les parties dans l'estat, qu'elles étoient au jour de leur contract de mariage; en sorte que cette clause devient inutile parce qu'autrement elle dérogeroit au contract de mariage, qui porte celle de la communauté des biens, & qu'on ne peut pas changer ny reformer les conventions matrimoniales, ce qui a été introduit pour éviter les differens, qui naitroient souvent entre les conjoints à cette occasion. Et ce seroit en ce cas un avantage, que la femme seroit à son mary, ce qui est défendu expressement par notre Coutume. *Secundum quas consuetudines sapius pronunciatum esse, liquet ex arrestis, quæ congeffit Louët & ejus Commentator Lit. M. c. 4. Nobis eadem decisio placet in matrimonio, post divortium quoad thorum & mensam instaurato, quoniam hæc renunciatio incideret in donationem inter conjuges vetitam L. 5. §. 13. & 14. de donat. int. vir & uxor. junct. L. 32. §. 11. eod. Aliud autem dicendum foret, si matrimonium omnino fuisset dissolutum,*

C

XV. Enim:

